

Episcopi, si tamen intra dioccesim consistant; requiritur autem vicissim, si se ab illa absentent; petita tamen non debet ab Episcopo negari: ita ex decretis Sac. Congr.; ibid. § 36.

(122. Canonici vigore trimestris a Concilio Tridentino sibi concessi non possunt simul abesse a choro ultra tertiam partem uno et eodem tempore, nec vacationem hanc obtinere possunt tempore Quadragesimæ, et Adventus, et in festis solemnioribus. Ita ex decreto Sac. Congr., ibid. § 34.

(123. Pro absentibus habentur qui absunt ab Ecclesiæ servitio tot vicibus, ut præscripta quantitas trium mensium annuo spatio superetur. Hinc Sacra Congregatio decidit plusquam trimestrem valere, ut censeantur absentes; nec approbavit illos qui calculum conficiebant ab hora ad horam, et non a die in diem. Ita ex decreto Sac. Congr., ibid. § 32, 33.

(124. Absentes a servitio tempore vacationis non lucrantur distributiones quotidianas, nisi concessæ sint illis a Constitutionibus confirmatis a SS. Pontificibus ante concilium Tridentinum. Ita ex decreto Sac. Congr., ibid.

(125. Canonici, qui abfuerint ultra trimestre, non sunt citandi, ut veniant ad servitium Ecclesiæ, qua in re differunt a Curatis non residentibus, qui ex Concilii præscripto citandi, vel admonendi sunt, ut contra illos procedatur. Vocandi sunt igitur Canonici, ut deducant causam, cur non debeant privari medietate, sive omnibus fructibus juxta præscriptum Sac. Congr. Concilii. Ita ex Decreto Sac. Congr., ibid. § 37.

(126. Porro ut tunc procedatur ad privationem Canonici, præcedere debet trium annorum absentia, tum expediendæ sunt tres citationes contra absentem, qui dein expectandus est per sex menses, iisque elapsis, si non compareat, ad sententiam privationis procedatur. Ita ex decretis Sacre Congregationis, ibidem.

(127. Attamen intra hoc triennium expectationis procedi potest ad suspensionem delictis, juxta dispositionem c. *Ex tua*, de Cleric. non resid. Quod etiam fieri potest inchoata jam via procedendi a concilio præscripta; attamen tunc pergendum non est ad sententiam privationis. Ita ex decreto Sac. Congr., ibid. § 38.

(128. Alia ad rem vid. verb. DISTRIBUTIONES.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(129. Residentia Canonice Ecclesiarum cathedralium et collegiarum non debet amplius regulari a statutis et consuetudinibus earundem Ecclesiarum, sed a concilio Tridentino, sess. 24, c. 2, de Reformat. quod injungendo Canonice onus residentie, contrariis omnibus consuetudinibus et statutis derogavit, ut aliis cumulatis firmavit Rota in Monasterien. Parochialis 16 Febr. 1748, § 6, coram Illustrissimo Migazzi, et 28 Junii ejusd. anni 1748, § 13, cor. bon. mem. Lana.

(130. At non omittendum est, Summum Pontificem Benedictum XIV, Institut. Eccl. 107, in principio n. 2, referre Pontificum

hoc decretum consilio Sac. Congr. Concil. Interpretis editum: « Sanctissimus Dominus etiam ex sententia S. C. Concil. declaravit immemorabilem consuetudinem non excusare a residentia in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus. In collegiatis autem non insignibus posse excusare, dum tamen sunt rurales, prorsus destitutæ, et in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum esset residere, aut quæ adeo tenuis redditus essent, ut Canonicos, aliunde non habentes unde vivant, alere non possent. »

(131. Questionis est, an Canonici, qui spatium plurium annorum, decem scilicet, viginti, triginta, etc. non resederunt, puniri queant privatione Canonice non servato ordine præscripto a concilio Tridentino cap. 12, sess. 24 de Reformat., de quo Auctor num. 23. Negavit Rota in Tudert. Servitiorum super privatione 17 Aprilis 1752, § 3, cor. bon. mem. Amadeo.

(132. De servitio quod Canonici præstare debent choro, tum de aliis de quibus agit Auctor, consule pro re nata mox dictum Summum Pontificem Benedictum XIV, dict. Institut. Eccl. 107, a § 1, ad finem.

#### ADDITIO CASINENSIS.

(133. Antiquitus quæstio erat inter doctores, num ad officium defunctorum et B. M. Virginis tenerentur extra chorum beneficiati. S. Thomas sensit omnino officium defunctorum omitti non posse a Canonice et beneficiatis in quodlibet 6, quæst. 5, art. 8. Item affirmavit S. Antonius in III par., tit. 13, cap. 4, § 3, ab universis qui choro tenentur etiam extra chorum illud persolvi debere. S. Pius V vero tale onus ademit in sua Constitutione 64, his verbis: « Quod vero in rubricis nostri hujus officii præscribitur, quibus diebus officium B. M. Virginis, item defunctorum, item septem psalmos penitentiales, et graduales dici et psalli oportent, nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quid periculum ab ea præscriptione removendum duximus; verum debito providentiæ pastoralis admoniti, omnes vehementer in Domino cohortamur ut remissionem nostram, quantum fieri poterit, sua devotione ac diligentia præcurrentes, illis etiam precibus, suffragiis et laudibus, suæ et aliorum salutis consulere studeant. Ac ut fidelium voluntas, ac studium magis etiam ad hanc salutarem consuetudinem incitetur, de omnipotentis Dei misericordia, beatorumque Petri et Pauli apostolorum, ejus auctoritate confisi, omnibus, illis ipsis diebus in rubricis præfinitis, beatæ Mariæ vel defunctorum officium dixerint, toties centum dies, qui vero septem psalmos, vel graduales quinquaginta de injecta ipsis penitentia relaxamus. » Et paulo post: « Hoc autem concedimus sine præjudicio sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus officium parvum beatæ Mariæ semper Virginis in choro dici consueverat, ita ut in prædictis Ecclesiis servetur ipsa sancta, et laudabilis consuetudo celebrandi more solito prædictum officium. »

#### ARTICULUS VI.

*Canonici, quoad associationem et assistentiam debitam episcopo.*

(1. Canonici tenentur in eorum habitu canonicali accedere ad domum Episcopi, et illum associare ad Ecclesiam celebraturum, vel divina officia auditorum cum cappa accedere, et finito officio in reditu associare. Cæremonial. Episcop., c. 15, ibi: « Cum Episcopus rei divinæ peragenda causa ad Ecclesiam venturus erit, sive ipsemet celebraturus sit, sive alter, debent Canonici omnes in eorum ecclesiastico et canonicali habitu appropinquante hora ad illum accedere, eundemque cappa indutum ex aula, sive camera, quam ad hoc destinavit ad Ecclesiam progredientem comitari et deducere; » et paulo inferius: « In redeundo idem ordo servetur. » Et sic etiam censuit Sac. Congreg. Rit. in Ragusina, 8 Martii 1617, et in Tarvisina, 10 Januarii 1719, et in Pisaurien., 22 Martii 1653. (2. Et ad hoc tenentur non solum ex urbanitate, sed ex debito. Sac. Rit. Congr. in Salamantina, 16 Julii 1605. (3. Etiam si domus non sit contigua Ecclesiæ, dummodo domus non multum distet. Eadem Sacra Congregatio Rituum in Oscen., 16 Maii 1601, et in Conimbrien., 6 Julii 1681. (4. Etiam si distet per spatium 60 passuum, qui habetur pro modico spatio. Eadem Sac. Congr. in Theatina, 14 Dec. 1602, et in Tiferaten., 5 Jul. 1603. (5. Etiam si distet per spatium 110 passuum. Eadem Sac. Congr. in Elven., 10 Januar. 1604. (6. Etiam si distet per spatium 160 passuum. Ead. Sac. Congregat. in Tarracinen., 20 Aug. 1622. (7. Imo Canonici tenentur accedere ad palatium Episcopi ad effectum eundem associandi ad Ecclesiam, non obstante distantia cathedralis 200 et ultra passuum. Sac. Rit. Congr. in Turritana, 26 April. 1704, ad 6, ut refert Monacell., t. IV, in supplement. ad tertium tom., num. 193. (8. Si vero palatium Episcopi sit longe distans, debet associari ex aliquo loco ad hoc deputato prope Ecclesiam, vel Ecclesiæ ipsius atrio, aut scalis vicino. Eadem Sacra Congreg. in d. Oscens., 16 Maii 1601. (9. Ut Canonici in debita associatione Episcopi deesse non possint, et officia divina non turbentur, debet Episcopus certam horam sui adventus tempore congruo statuere et significare. Sac. Congregatio Rit. in Alboren. et Oscen., 16 Maii 1601, et in Placentina Compostellæ, 4 Julii 1615, in resp. ad primum dubium. (10. Et determinata ac stabilita cum Episcopo certa hora officii, si dato ultimo signo campanæ, non veniat Episcopus, possunt Canonici inchoare officium, etiam non expectato Episcopo. Eadem Congreg. in dicta Placentina in resp. ad quintum dubium, et in Salamantina, 16 Julii 1605. (11. Si Episcopus post inchoatum officium ad Ecclesiam descendat, tunc satis erit, si quatuor vel quinque Canonici obviam eant, et major pars Canonice in choro remaneat. Eadem Sac. Congregat. in d. Placentina in resp. ad primum dubium.

(12. Vel saltem duo ex Canonice tenentur ex choro discedere, et obviam ire Episcopo porrigentes aspersionem, ut eadem Sac. Congreg. censuit in Lunen. Sarzanen., 3 Martii 1633, his verbis: « Sac. Congr. Rit. censuit, quod Episcopo vententi ad Ecclesiam, dum in choro a Canonice recitantur horæ canonice, saltem duo ex Canonice teneantur a choro discedere, et obviam ire porrigentes aspersionem. » (13. Et idem si Episcopus venit eo tempore quo post decantatum Evangelium concio inchoatur. Eadem Sacra Congregatio in dicta Placent. in respons. ad secundum dubium. (14. Quod si finita concione, velit domum redire, nec pariter Canonice omnes debent deserere Missam, sed tantum tres vel quatuor Episcopum usque ad portam comitentur, et statim redeant. Eadem Cong. in dicta Placentina in respons. ad tertium dubium. (15. Sed si post finitam Missam velit discedere, nec expectare quod hora sexta recitetur, quæ de consuetudine Ecclesiæ immediate finita Missa cantari solet, Canonice omnes saltem usque ad portam Ecclesiæ comitentur. Eadem Sac. Congr. in Placentina in resp. ad quartum dubium. (16. Si vero discedat persolutis divinis officiis, tenentur illum associare usque extra portam Ecclesiæ, vel usque ad primum atrium domus Episcopi, quando domus est contigua Ecclesiæ. Eadem Sac. Congreg. in dicta Placentina in resp. ad sextum dubium; et in Pisaurien., 13 Septemb. 1646. (17. Episcopum associare, uti supra, tenentur etiam dignitates, licet Cæremoniale tantum Canonicos exprimat. S. C. R. in Perusina, 21 Aug. 1601.

(18. Canonici et dignitates non tenentur associare et reassociare Episcopum toties quoties accedit ad Ecclesiam et ab illa recedit, sed solum in solemnioribus diebus, quibus cum cappa ad celebrandum aut ad assistendum divinis officiis, vel ad pontificalia exercenda accedit. S. R. Congr. in Perusina, 26 Novembr. 1611, et in dicta Placentina in resp. ad primum dubium. (19. In cæteris vero diebus quibus Episcopus private sine cappa, vel ex alia causa ad Ecclesiam accedere voluerit, non tenentur, nisi ex voluntate et urbanitate hæc obsequia ei præstare, et satis est, si aliqui ex Canonice et dignitatibus ad ostium Ecclesiæ accurrant, cui dignior aspersionem cum aqua benedicta ministrare debet, et abeuntem similiter usque ad ostium comitentur. Eadem Sacra Rituum Congregatio in dicta Perusina, 20 Decembr. 1601; Brundusina, 2 Mart. 1603; Asculana, 16 Decembr. 1606; Ripana, 24 Octob. 1609; Sarzanen., 12 Mart. 1618; Tarvisina, 19 Januar. 1619; Sarnens., 30 Mart. 1619; Limana in Indiis, 29 Maii 1621. (20. Si autem exstet consuetudo quod Canonici soleant associare Episcopum a cubiculo, seu a camera deputata, quoties cum cappa accedit ad Ecclesiam ut celebret, et divinis officiis assistat etiam in Dominicis diebus, et aliis festivitatibus per annum, talis consuetudo servanda est. Sacra Congregat. Rit. in Ripana, 30 Januarii 1610. (21. Imo Cano-

mici tenentur Episcopum associare et reducere, etiamsi cappa non utatur, quando pro loci aut provincie consuetudine, aut alias, cappa uti non solet, aut ejus loco alium habitum ferre solet. Sac. Congreg. Rituum in Elboren., 8 Martii 1600. (22. Canonici omnes non tenentur associare Episcopum ab eo altari in quo Missam planam celebravit, ad sedem episcopalem, si voluerit Missae conventuali assistere. Sac. Congreg. in Tifernaten., 15 Julii 1603. (23. Canonici non tenentur, nisi ex urbanitate, associare Episcopum venientem ad cameram capitularem. Sac. Congreg. Rituum in Salamant., 16 Jul. 1605. (24. Canonici et dignitates associantes per civitatem eorum Episcopum Cardinalem non collegialiter, nec cum habitu canonicali, debent illum anteire, non autem sequi. Sac. Congreg. Rit. in Patavin., 4 Julii 1626. (25. Canonici omnes non tenentur ire obviam Episcopo Suffraganeo venienti ad Ecclesiam, ad celebrandum nomine Episcopi proprii usque ad cubiculum, sicuti tenentur ire obviam Episcopo proprio, sed satis est ut Suffraganeo aliqui Canonici obviam procedant usque ad portam Ecclesiae. Sac. Congreg. Rit. in Bracharen., 1 Septembris 1607. (26. Si Suffraganeus de licentia Episcopi deferat cappam, tenentur duo Canonici ire usque ad ostium Ecclesiae, et dignior porrigat ei aspersorium, quo Suffraganeus seipsum tantum aspergat, et pariter eum associet in reditu usque ad eundem locum. Sacra Congregatio Rituum in Veliterna, 6 Sept. 1698, in respons. ad primum dubium.

(27. Assistentia a Canonicis et dignitatibus debita Episcopo facienda est secundum Cæremoniale Roman. S. Cong. Rituum in una Visen., 31 Junii 1605; in una Alexandrina, 15 Martii 1607; et in Mexicana, 4 Aprilis 1620. (28. Et hujus Cæremonialis dispositionem tenetur Episcopus omnino observari facere in cathedralibus et in aliis Ecclesiis suae diocesis. Eadem Sac. Congreg. in Angrens., 15 Decemb. 1632. (29. Nisi tamen adsit laudabilis et immemorabilis consuetudo in contrarium, ut in Salernita, 16 Julii 1605. (30. Quia Cæremoniale non tollit immemorabiles et laudabiles consuetudines, sed abusus. Eadem Sacra Congregatio in Salamantina, 20 Jan. 1604; Caesaraugustana, 10 April. 1604; Mantuana, 19 Junii 1604; Tornacensi, 26 Januarii 1612; Brundusina, 17 Septemb. 1623; Forolivien., 4 April. 1615; Hydruntina, 30 Januarii 1616. (31. Unde Canonici, dignitates et portionarii tenentur assistere Episcopo solemniter celebranti, aut alia pontificalia exercenti. Conc. Trident., sess. 24 de Reformat., cap. 12, vers. *et Episcopo celebranti*. (32. Et sic Episcopo celebranti assistere tenentur prima dignitas et duae aliae dignitates, vel Canonici praeter Diaconum et Subdiaconum Ministros qui cantant Evangelium et Epistolam. Sac. Congr. Rit. in una Lucensi de anno 1609. (33. Assistere enim Episcopo debent digniores et honoratiores. Ead. Sac. Congr. Rit. in Calaguritana, 1 Julii 1601. (34. Et per hoc

a prima dignitate seu digniore in ordine sacerdotali constituto, assistentia cum pluviali Episcopo celebranti facienda est. Eadem sacra Congregatio in Reatina, 10 Januarii 1609, et in Vercellensi, 7 Augusti 1610. (35. Et talis prima dignitas seu dignior, in casu quo recuset sic Episcopo assistere, cogendus est poenis et censuris Ecclesiasticis. Eadem Sacra Congregatio in d. Reatina, 10 Januarii 1609, et 28 Maii 1616. (36. Prima dignitas debet assistere Episcopo celebranti, licet sit unica, et ad assistendum potest cogi sub eisdem poenis et censuris. Eadem Sac. Congreg. in Calaguritana, 2 Decemb. 1620. (37. Archidiaconus non potest assistere Episcopo in habitu praelatio non choralis, licet sit protonotarius. Eadem Congregat., 6 Martii 1610. (38. Consuetudo, ut dignitates et Canonici mitram, gremiale, et thuribulum, ac simile ministrent Episcopo, servanda est. Eadem Sac. Congreg. in Lamac., 5 Julii 1603. (39. Assistentia duorum Canoniorum semper convenit Episcopo loci ordinario tantum, sive celebret, sive Divinis assistat, maxime quando est paratus. Eadem Congregat. in Aesina, 30 Augusti 1602; in Saonen., 21 Aug. 1604; in Granat., 10 Maii 1608; et in Caesaraugustana, 9 Maii 1696. (40. Et hi duo Canonici assistentes debent eligi ex numero Diaconorum, quando praebendae sunt distinctae. Eadem Sac. Congreg. in Nolana, 13 Maii 1603, et in Placentina Provinciae Compostellanae, 15 Maii 1607, in resp. ad 7 dub. (41. Canonici duo Diaconi assistentes, et non presbyter assistens debet elevare fimbrias pluvialis hinc inde, dum Episcopus progreditur et thurificat altare. Ead. Cong. in d. Placent. in resp. ad 7 dub. (42. Canonici iidem assistere debent Episcopo, quando facit ordinationes, tam si faciat cum Missa solemnem quam si faciat cum Missa privata. Eadem Sac. Congregat. in d. Placentina in resp. ad 2 dubium. (43. Canonici Diaconi non debent hinc inde assistere Episcopo, dum is accedit ad Ecclesiam, nisi quando est paratus cum pluviali et mitra. Eadem Sac. Congreg. in Aesina, 2 Augusti 1602. (44. Canonici, qui assistunt Episcopo cum cappa, non tenentur ei ponere et deponere birretum, sicut tenentur ei ponere et deponere mitram, sed debet Episcopus sibi de per se extrahere. Ead. Sac. Congr. in Saonen., 21 Aug. 1604; in Laudens., 4 April. 1602; in Thelesina, 22 Decembr. 1629, et in Isernien., 21 Aug. 1632.

(45. Canonici tenentur, et cogi possunt ab Episcopo ut sibi ministrent, et inserviant non modo in cathedrali, verum etiam in quibuscunque civitatis Ecclesiis, ad quas ad publicas vel solennes episcopales functiones exercendas Episcopum ire contigerit; non tamen extra civitatem. Eadem Sacra Congregatio in Tifernaten., 5 Julii 1603; in Salamantina, 10 Januarii 1604; in Granaten., 9 Maii 1606; in Elboren., 7 Julii 1612. (46. Dummodo in cathedrali numerus sufficiens Canoniorum et Ministrorum remaneat, et officium et servitium chori non deserratur. Eadem Sacra Congregatio in Lamacen.,

17 Martii 1607, et in Elboren., 7 Julii 1612. (47. Non tamen possunt Canonici cogi ad assistendum Episcopo, si accesserit ad alias Ecclesias ad celebrandum private. Eadem Sacra Congregatio in Tifernaten., 5 Julii 1603. (48. Imo neque tenentur Canonici Episcopo assistere Missam private celebranti in ipsa cathedrali, ut decisum fuisse a Sacra Congregatione refert Scipio de Rubeis in Aphorism. Episcop., verb. *Assistentia*, num. 2; Barbosa de Canon., cap. 33, num. 12. (49. Et quatenus Episcopo in Missis privatis inserviant, non gaudent distributionibus, ut censuit Sacra Congregatio Concilii sub die 17 Maii 1618. (50. Si tamen ex consuetudine Ecclesiae assistere tenerentur, talis consuetudo esset observanda, et Canonici assistentes non amitterent distributiones quotidianas, ut censuit Sacra Rit. Congregatio in Lamacensi, 25 April. 1608. (51. Canonici cathedralis, si adsint, debent inservire Episcopo pontificalia exercenti extra cathedralem, et non alii inferiores; cum enim pro parte capituli cathedralis Isernien. narratum fuisset, Episcopum exercentem pontificalia extra cathedralem adhibere inservientes presbyteros simplices, neglectis Canonicis cathedralis, et petitum declarari an conveniat, eadem Sacra Rituum Congregat., sub die 2 Augusti 1631, respondit, « non convenire, sed Canonicos cathedralis in casu proposito inservire debere etiam extra cathedralem, et non alios inferiores. » (52. Imo ad dignitates et Canonicos cathedralis, si adsint, pertinet assistere Episcopo pontificaliter celebranti, etiam in Ecclesia collegiata vel parochiali, non autem ad Canonicos collegiatam, vel presbyteros parochialium, etiamsi numerus aliqui sufficiens sit presbyterorum. Eadem Congregatio Rit. in Calaguritana, 1 Julii 1601; in Bononien., 20 April. 1602, et in Brundusina, 13 Julii 1617. (53. Et hoc procedit etiam quando Episcopus celebrat, aut Missa seu Vesperis solemnibus quacunque ex causa interest in Ecclesiis exemptis, et Sedi Apostolicae immediate subjectis intra fines tamen suae diocesis existentibus, quia potest ibi sibi assumere suos Canonicos, et ibi habere cum eis circulum ad gloriam, et ad ipsum pertinet confessionem facere cum sacerdotem, incensum ponere et benedicere, ac benedictionem post Vesperas, et post Missam dare. Sacra Rit. Congregatio in Alexandrina S. Petri in Borgoglio, 7 Febr. 1604. Vide tamen verb. *Assistentia*, num. 25.

(54. Canonici tenentur assistere Suffraganeo, quando nomine proprii Episcopi functiones episcopales exercent. Eadem Sacra Congregatio Rituum in Bracharen., 21 Februarii 1604. (55. Eadem enim obsequia praestanda sunt Episcopo delegato, quae praestari debent deleganti. Eadem Sacra Congregatio in dict. Bracharen., 20 Martii 1604. (56. Canoniorum duorum assistentiam habere non debet Episcopus Suffraganeus ultra Diaconum et Subdiaconum, qui sunt cantaturi Evangelium et Epistolam, sicut haberet proprius Episcopus. Sacra Congregatio Rituum in Bracharen., 1 Septembris 1607.

(57. Si tamen consuetudo antiqua id permetteret, esset observanda, ut Suffraganeus haberet assistentiam aliorum duorum Canoniorum praeter Diaconum et Subdiaconum. Eadem Sacra Congregatio in Tarraconen., 7 Julii 1612. (58. Canonici et dignitates omnes non debent assistere parati, quando Episcopus Suffraganeus solemniter celebrat, sed in habitu ordinario, sicut et quando facit ordinationes, consecrationes, et alias similes functiones pro Ordinario, quo casu illi tantum debent accipere paramenta, qui sunt necessarii in ministerio. Eadem Sacra Congregatio in Bracharen., 1 Septemb. 1607. (59. Canonici Diaconi assistentes non tenentur, imo non debent inservire Archiepiscopo de bugia, seu candela, sed ea administranda est per capellanum, et non possunt cogi Canonici ad inserviendum Archiepiscopo in Missis privatis praeter consuetudinem. Eadem Sac. Congr. in Ragusina, 16 Martii 1659. (60. Canonici autem, seu dignitates, qui assistunt, juxta consuetudinem Ecclesiae, Archiepiscopo vel Episcopo privatim celebranti in Ecclesia cathedrali, non amittunt distributiones quotidianas. Eadem Sacra Congregatio in Lamacen., 8 April. 1607. (61. Canonici enim et dignitates, dum sunt in debita assistentia apud Episcopum, intelliguntur praesentes in choro, tam in Ecclesia cathedrali, quam in alia Ecclesia. Eadem Sacra Congregatio in Cameracen., 15 Martii 1608.

(62. Circa assistentiam faciendam a Canonicis Episcopo conciones habenti, fuerunt resoluta varia dubia a particulari congregatione deputata a Clemente XI, de anno 1703, in Casalensi, ut tom. III Comment. ad Constit. 1. Nicolai III, n. 18, refert eminentissimus Petra, qui fuit secretarius talis specialis Congregationis, ut fatetur ipse ad Constitut. 1 Urbani IV, num. 16. Dubia igitur et resolutiones, sunt ut sequitur: « Vigesimo septimo: An et qualis assistentia debeatur per Canonicos Episcopo concionanti, tam in Missis solemnibus quam extra, et tam in Sede Episcopali quam in Ambone, tam cum pluviali quam cum mozetta et cappa magna. Vigesimo octavo: An et quibus casibus praedictis liceat Episcopo dare solemnem benedictionem praevia solemnibus confessione. Die 1 Aprilis 1708, censuit ad vigesimum septimum, Episcopo concionante pontificaliter intra Missarum solemnium servandum concilium provinciale: concionante verum cum mozetta, seu cappa, servandum decretum S. Congreg. Rituum, die 19 Decembr. 1643, tenoris videlicet. *Dubium*: Quaesitum fuit, an Episcopo praedicanti in Ecclesia cathedrali in Ambone, ubi praedicatores ordinarii praedicare consueverunt sine baldachino, et in habitu mozettae et stolae debeatur assistentia a Canonicis et dignitatibus? Sacra Congregatio respondit: In casu proposito assistentiam non deberi ei, nisi quando cum pluviali et mitra ad praescriptum Cæremonialis Episcoporum voluerit praedicare. Ad vigesimum octavum censuit: In casu quo Episcopus concionatur pontificaliter inter